

ADNOTATIONES

AD DOCUMENTA A P. DEL PORTILLO ALIISQUE PROPOSITA

circa legislatiojem canonicam De Laicis

=:::=:::=:

I. PLACET : a) quod insistitur super vocationem universalem ad sanctitatem, etiam pro laicis; quod etiam in legibus et praescriptio-nibus apparere debet.

b) quod legislator canonicus intendit dignitatem aequalem omnium christianorum agnoscere et iura laicorum tueri; imo quod illa iura dynamice concipiantur et promoveantur. Res in specie valet de libertate laicorum ad mentem suam aperiendam et de eorum cooperatione in Conciliis pas-toralibus, tum dioecesanis tum paro-chialibus.

c) quod dignitas humanae personae nulli homini denegatur, et quod aequalitas religiosa mulieris agnoscitur, ita ut etiam in praxim deducatur.

d) quod inculcatur obligatio laicorum tum ad oboediendum Pastoribus, tum ad collaborandum cum eis, utque utrumque libenter fiat.

e) quod legislatio particularis de catechumenis elaboratur, quia specili modo iam ad Ecclesiam pertinent.

II. OPTATUR a) ut pars Codicis pro Laicis non ad minora descendat, tum quia materia est adhuc in statu maturationis, tum quia magnae adsunt divergentiae in statu laicorum secundum regiones et condiciones sociales.

b) ut e documentis Concilii ea omnia desumantur, quae per legislationem in praxim deduci debent, ne quidquam eorum pereat. Commendatur usus anthologiae e textibus Concilii iam confectae.

c) ut praevideantur quaedam indicationes generales relate ad dialogum instituendum inter Pastores, laicos, religios^g utriusque sexus, intervenientibus etiam laicis non-organizatis.

III. De DEFINITIONE laicorum notatur:

a) Si propter rationes prracticas adhiberi debet triplex categoria personarum in Ecclesia (clerici, laici, religiosi), sedulo advertatur distinctionem inter clerum (hierarchiam) et ~~laica-~~ tum, et distinctionem inter fideles in genere ex una parte et re-
ligiosos ex altera parte, non fundari in eodem plano. Unde habemus bis duos terminos comparationis. Iamvero 2 x 2 non facit 3 sed 4. Prima distinctio nititur in divina institutione hierarchiae et involvit potestatem quae per sacramentum Ordinis communicatur; altera autem distinctio nititur in sanctione quam Ecclesiae Hierarchia concedit quibusdam fidelibus in "statu" particul^ari viventibus.

Unde sequitur, ut dictum est, quod non existunt tres categoriae in eodem plano iuxtapositae. Tum clerici tum laici in "religionem" intrare possunt, quae ab Ecclesia officialiter agnoscitur.

b) Unde ubi de definitione laicorum agitur, notandum est elementum genericum esse conditionem hominum baptizatorum, quorum est incorporatio in Corpus Christi et Populum Dei, participatio munus sacerdotalis, prophetici et regalis Christi et missionis totius Populi christiani in Ecclesia et in mundo.

Specificum elementum positivum ita enuntiatur quod ^{laicorum} clericorum est, ex vocatione propria, res temporales gerendo et secundum Deum ordinando, regnum Dei quaerere. Quae indoles "saecularis" in sqqq. eiusdem paragraphi latius describitur. Dicitur autem "Laicorum est..." ne casus exceptionales vel suppletivi excludantur.

Specificum autem elementum insuper negative restringi debet, quia non agitur de membris ordinis sacri nec status religiosi ab Ecclesia sanciti. Religiosi autem ab aliis distinguuntur, non proprie quia ab aliis separantur, sed quia per specialem statum et modum vivendi Deo totaliter consecrantur. //

NOTA. Addi posset quod ad Auctoritatem Ecclesiae pertinet statuere quid de Institutis Saecularibus sit faciendum. Laici impediri non possunt quin privata vota pronuntient, ad apostolatum etiam pleno tempore sese dedicent, cum vel sine virginitate, spiritualitatem propriam exercent, quin eo ipso ad statum religiosorum transeant.

c) De saecularitate. Ne dicatur quod consistit in rebus "naturalibus" sed in temporalibus. Ordo realiter existens, etiam pro laicis est supernaturalis, qui subsumit omnia "naturalia", eaque elevat, purificat et transformat. Supernaturalitas non superimponitur rebus naturalibus, neque consistit in mera bona intentione superaddita, sed in interiori et ontologica transformatione. A.v. ordo naturalis et ordo supernaturalis non possunt iuxtaponi, ut videtur facere A.del Portillo, neque laici vivunt in ordine naturali sed temporalis. Ceterum in citatione adducta p.42, P.Chenu non loquitur de "naturali" sed de "profano".

+/ Saecularitas intelligitur de rebus temporalibus, quae scilicet non nisi in hac duratione temporis, non vero in aeternum subsistunt. Habent valorem finis immediati, et non tantum medii ad salutem, licet non constituere possint finem ultimum. A.v. sunt res creatae, pro quanto considerantur, non in sua dimensione verticali et transcendentali, sed in sua entitate quasi horizontali et non perenni.

PATRIMONIO UC

IV. QUAE DAM MINORA circa dicumentum A.Del Portillo.

a) In initio p.75 adesset quaedam simplificatio: Magisterium exigat oboedientiam intellectus, sed sub imperio voluntatis.

b) p.148 dicendum non esset "Baptismate homo constituitur civis Ecclesiae, sed - ut dicit Concilium - "Ecclesiae incorporatur"

c) In fine eiusdem paginae, definitio laici ^{completur} per indicationem restrictionis " praeter membra ordinis sacri et status religiosi ab Ecclesiae sanciti".

d) p.150, Difficile esset probare quo mulier iure divino a sacramento ordinis excluditur. Cogitetur i.a. ordinatio diaconissae per impositionem manuum, quae aliquo tempore arguit.